

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Confessio p  
cum fonte primo

Sacerdotes caute necesse est  
uigilare sollicitos,  
quo uidelicet delinquentium cordibus  
tanto moderamine uerbum timoris  
et contricionis infligant,  
quatenus eos nequaquam a uerbo  
confessionis exterreant,  
sic corda aperiant ut ora non obstruant.  
Sed nec absoluant eciam compunctum  
nisi uiderint confessum  
quoniam quidem corde creditur ad iusticiam,  
ore autem fit confessio ad salutem.

Quisquis ergo uerbum confessionis in ore habet  
et in corde non habet, aut dolosus est aut uanus;  
quis uero in corde et non in ore,  
aut superbus est aut timidus.

Bernardus de noua milicia.

Quamobrem ministros uerbi  
sacerdotes caute necesse est  
ad utrumque uigilare sollicitos,  
quo uidelicet delinquentium cordibus  
tanto moderamine uerbum timoris  
et contricionis infligant,  
quatenus eos nequaquam a uerbo  
confessionis exterreant,  
sic corda aperiant, ut ora non obstruant,  
sed nec absoluant etiam compunctum,  
nisi uiderint et confessum,  
quoniam quidem CORDE CREDITUR AD IUSTITIAM,  
ORE AUTEM CONFESSIO FIT AD SALUTEM.  
Alioquin a mortuo, tamquam qui non est,  
perit confessio.  
Quisquis igitur uerbum in ore habet  
et in corde non habet, aut dolosus est, aut uanus;  
quisquis uero in corde et non in ore,  
aut superbus est, aut timidus.

Bernardus Claraeuallensis, *Liber ad milites templi  
de laude nouae militiae*, 30 (SBO 3, J. Leclercq,  
C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.238, ll.11-19).